

Ad specimen novae editionis Praemonitum.

Expositis iis, quae ad censuram quandam editionum Theophanis anteriorum facere videbantur, subjungere quaedam libet, quae Georgii maximopere Hamartoli historiam manuscriptam¹⁾ spectant, dignissimam sane, quae tandem aliquando tota in lucem publicam prodeat. Ea in editione, quam pare adornando plus semel non sine fructu usus sum, cuius rei documenta quaedam luculenta Specimen nostrum suppeditabit. Vixisse hunc scriptorum seculo post Christum natum nono putant, quanquam finis libri quaedam habere videtur, quae continuatoris ejusdam manus recentior adjicienda curavit. Quid? quod totus Hamartoli liber, de quo adeundus Fabricius biblioth. Gr. ed. Harl. T. 7, p. 463, aliam in aliis codicibus formam prae se ferre dicitur, in quod futurus, quem vehementer exopto, editor diligenter, ut spero, inquiret.

Theophane Georgium Hamartolum, cum suam ipse historiam conscriberet, praeter alios huius generis auctores usum fuisse, libri lectio mihi persuasit; unde locis haud paucis ipsa Theophanis verba lucem aliquam formamque emendatiorem adipiscuntur. Hamartolum vero multoties Leo Grammaticus exscripsit, cuius partem posteriorem cum ante hos ducentos fere annos Franciscus Combefisus edidisset, priorem nostro aevo Cramerus Britannus ex libris manuscriptis

¹⁾ Codex bibliothecae imperialis Vindobonensis, ex quo sequentem Hamartoli narrationem decerpsi, inscribitur: Georgii monachi excerpta chronographia. Cod. Vindob. Hist. Graec. Nro. XL, olim 39. Est ejus forma, quam dicunt, Fol. Est foliorum 326. Et folia 1—48 sunt chartacea, manus recentioris; folia 49—314 membranacea; folia 315—326 chartacea, manus recentioris.